



**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

109. De Mvliere Qvadam Edessena, quæ cum filio ad Christianorum  
coetus, in templum S. Thomæ properans, spontè ad martyrium cum filio se  
obtulit. Capit. 32.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)



108. EX LIBRO VII. IOVINIANUS  
 Imperator pius & catholicus, ad Episcopos  
 Macedonios, offerentes ipsi literas  
 contentionum plenas: Ego contentiones  
 odi. Eos autem qui ad concordiam  
 festinant, diligo pariter & honoro.

Cap. 4.

*Aematheis plenas ferrent cum lite tabellas,  
 Praesulibus Caesar sic Iouianus ait:  
 Damniferas odi rixas litesque feroces,  
 Iurgia quod multis ansa fuere necis.  
 Diligo sed facilis quibus est concordia cordi,  
 Pacificos omni dignor honore viros.  
 Viuite concordem, concordia qualibet auget,  
 Dissipat aut discors optima quaeque status.*

109. DE MULIERE QVADAM  
 Edessena, quae cum filio ad Christiano-  
 rum coetus, in templum S. Thomae  
 properans, sponte ad martyri-  
 um cum filio se obtulit.

Capit. 32.

*Ad templum populus quondam confluxit Edessa,  
 Disceret ut veri dogmata vera Dei.  
 Diceret & laudes toto de pectore Christo,  
 Diceret aeterno pro bonitate Deo.*

*Impius*



*Impius hos coetus Caesar prohibere sacros  
 Audet, sæpe valens impietate, Valens.  
 Edictum, ne quis templo succederet, edit,  
 Nec timet edicto supposuisse minas.  
 Supposuisse minas pœnarum legibus audet,  
 Terreat vt sanctos hac ratione greges.  
 Edictum populus temnens properabat ad ædem,  
 Dicturus sanctas, suevit vt antè, preces.  
 Ergo Valens subito mittit crudelis in urbem,  
 Quæ populum sacra pellat ab æde, manum.  
 Hic tenerum ducens mater paupercula gnatum  
 Ad templum, currit non trepidante pede.  
 Hanc vbi præfectus properantem vidit ad ædem,  
 Dictis, ceu miserans, talibus alloquitur:*

COLLOQVIVM PRAEFECTI  
& Mulieris.

PRAEFECTVS.

*Infelix mulier, quæ te dementia cœpit,  
 Ad certam vt curras tam properata necem?*

MVLIER.

*Cetera quò properat, curro, pia turba, precatum,  
 Hac nobis vitæ, non via mortis erit.*

PRAEFECTVS.

*Audistin' cunctos hac quòd præfectus in æde  
 Augusti occidet Caesaris imperio?*

H 5



HISTORIAE  
MVLIER.

*Audiui, atq; ideo cursu festino citato,  
Vt sancto in coetu sim moriarq; simul.*

PRAEFECTVS.

*Hunc mihi tam tenera quò dic etate puellum,  
Quò mater gnatum dic trahis a gra tuum?*

MVLIER.

*Hac etiam vt sacra nobiscum fiat in aede  
Sanctorum consors martyrijq; puer.  
Hac est praefecti minitantis voce repressus  
Impetus, & cessit Caesaris ira trucidis.*

110. COLLOQVIVM PRAEFEE-  
cti in vrbe Cesarea Cappadociae, & S. Basi-  
lij, cui praefectus persuadere conatur, vt in  
gratiam Valentis fidem Christianam  
& Catholicam abneget, promittens  
ei magna munera & amicitiam  
Imperatoris. Cap. 36.

*Cesarea praeses rabidi fuit vrbe Valentis,  
Cappadocum technis insidijsq; potens.  
Hic etiam sanctum tentat subducere technis  
Basilium à vera religione virum.*

PRAEFECTVS AD BA-  
filium.

*Cesaris*